

bergius ut & sacris ritè imbueretur, & carnis atque sanguinis JESU CHRISTI de Sententia autoris hujus mysterii particeps fieret, virum aliquem pietate & doctrina insignem ad se mitti à Septemviro Saxonico petit. Is Christophorum Eringium patriam Lipsiensem, tum verò Cygnæorum Ecclesiasten. ad Schönburgium ire jubet, quod illi præceptum erat, piè & fideliter fuit executus.

§. 35. A Duce Georgio frater ejus Henricus in religione totus erat diversus, & jam instabat dies ille, quo DEUS in tenebris Pontificiis, in quibus hæctenus Misnia jacuerat, lumen verbi sui, cujus radiis antea ditionem septemviralem illustraverat, in terris quoque Ducis Georgii accensurus erat; cum filiis suis omnibus superstes Dux Georgius in morbum gravissimum incidisset, & anno à Servatore generis humani virgine matre prognato 1539. vitam decessisset, qui annus & Ducis Georgii & Pontificiæ religionis abrogatione insignis Lipsiæ fuit. Dux si quidem Henricus statim ut gubernacula fraternæ provinciæ prendit, pios & nobiles aliquot vires Lipsiam misit, qui mandata ad Senatum & ordinem Ecclesiasticum de sa-

cro-